



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

1. A Deo operum primordia capienda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

tum auri pondus paciscitur. Opere, celerius opinione, perfecto, Laomedon juramenti immemor, & promissæ pecuniæ, mercede pactâ structores defraudat. Illi indignati, novam urbem duplici affecerunt calamitate, Neptuno inundationem, Apolline pestem immittente. Percontatus Oraculum Laomedon, responsum accipit, aliâ ratione deos placari non posse, quàm si quot-annis Virgo Trojana, quam fors declarasset, ceto devoranda exponeretur. Post annos aliquot, Hesionem eius filiam, Priami sororem, fors prædidit. Objicitur hæc monstrò æquoreo, suo interitu paternum scelus expiatura. Hercules eò fortè delatus, miseratur innocentis vicem puellæ, cetum occidit, Virginem morti eripit, ea quidem conditione, ut equi, quos Laomedon habebat præstantissimos, in præmium sibi navatæ operæ traderentur. Negat promissos equos Laomedon. Hercules plenus irarum, & impatiens injuriæ, collecto exercitu *Ilium* invadit, urbem capit, diripit, regem fœdifragum, homines pariter ac Deos ludos facientem, jam bis perjurum, interficit. Hesionem *Telamoni*, Æaci filio, uxorem dedit, quòd primus murum conscendisset. Priamum quoque eius filium captivum abduxit, qui postea auro à vicinis redemptus fuit, ideòque ἀπὸ τοῦ πειρασμοῦ, hoc est, à redimendo, nomen obtinuit.

Ethica.

I. (a) Rectè Tullius in Vatinium ait, *Magnarum rerum principia à diis immortalibus duci.* Unde illa: *à Iove principium, auspice deo, juvantibus superis.* Laomedon urbem structurûs, meritò Deos adhibet operis artifices. Manca est enim omnis mortalium industria, omnisque conatus, nisi divinus aspiret favor. Psaltes canit regius psal. 126. *Nisi Dominus edificaverit domum, in vanum laboraverant, qui edificant eam.* Experti hoc sunt structores illi Babylonii, quorum insanas molitiones, non ferro, non flamma, sed diverso linguarum flatu DEUS dejecit. Experti Jerichuntini incolæ, quorum muros, quamvis altissimos & firmissimos, tubarum sonò divina potentia stravit. Nimirum operum primordia, progressus, exitus, sunt à Deo auspicanda, cum Deo finienda. Equidem urbs illa primò *Ilium*, postea *Troia* vocata, ad tantam gloriam, ad tantas opes ascenderat, ut totius Asiæ caput diceretur, meritòque credi posset, non humanis eam exstructam esse manibus, sed vim aliquam divinam eius primordiis intervenisse.

X x 2

II. (b)

(a) *A Deo primordia operum capienda.*